

1497 raret, ut si opus esset, ipse quoque eo profici sceretur. Legati etiam ad bellum Gallicum lecti, Nicolaus Fuscarenus, Andreas Zancanius, ire celeriter sunt jussi. tum centuriones militum tribunique delectibus conscribendis, quibus uterentur, ad plura loca missi. Ubi Ursinus una cum altero legato Mediolanum venit (nam Zancanius in itinere ad Cremam luxato pede restitit) Ludovicus edici frequenti foro jussit: quæ legati Veneti jussissent, mandavissent, iis velle jubere se, ita omnes homines audientes esse, uti si ea ipsemet imperavisset. Triultio vero, cui, antequam exercitus reipublicæ illuc accessisset, omnia secundiora fuerant, Ursino & Montonio, reliquisque præfectis & tribunis militum suas ei copias opponentibus, primo ad Castellatum, quod municipium tormentis concutere instituerat, mille & quingentis Gallis ab equitatu reipublicæ levis armaturæ male habitis, non leve detrimentum est illatum. Deinde cum prælio decertare non auderet, paulatim se se retrahens, & castella Ludovici capta deserens, apud Astam octo millia passus castra posuit, & communivit: ante tamen Bergomascio Ludovici castello de via ei obvio, propterea quod se dedere noluerat, vi capto, interfectisque ad unum, qui in eo erant, omnibus. Ex Veneto etiam & Ludovici exercitu equites & milites Montis alti municipium, quod a Novaria tria millia passuum abest, expugnaverunt, simulque diripuerunt, atque incenderunt.

Veneri Pis-
as commea-
rum infe-
runt.

Savone autem & Genua recte firmatis, cum Pisani commeatus inopia confligantur, propterea quod classis reipublicæ ab eorum littoribus abs fuerat, Florentini suis navibus frumenta in oppidum supportari prohibuerant, pauculosque se dies sustinere posse ulterius significavissent: reipublicæ classis præfecto cum triremibus quinque, naviis minutis frumentariis, quibus erat præsidio, supra quinquaginta e Portu Veneris Pisas revertenti, ex omni sua copia Florentini fortissimo quoque milite navibus imposito, Triturrita solventes occurrerunt. naves erant eorum sex, quatuor biremes, una & ipsa longa sed trire-